



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 3. An licita sint pacta inter conjugem Catholicum, & hæreticum inita, ut
liberorum alii v.g. masculi, patrem Catholicum sequantur, fæminæ autem
matrem hæreticam, aut vicissim?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

conjugiis absterrendos esse, nisi fortè ipse sit hæretici conjugis convertendi ad veram fidem, & cum pacto, ut omnes proles catholicè educentur. Quòd si dubium sit, utrum prædicta mala sequi possint, ad Summum Pontificem, inquit Laym. l. c. vel etiam ad Episcopum in Germania nostra pertinebit rem examinare, & contrahendi matrimonii licentiam dare. Hinc Dixi supra saltem extra Germaniam, & alias Provincias septentrionales.

443 Ad 3. Q. Pacta, quæ in Conjugiis Catholicorum cum A Catholicis ineuntur, ut ex liberis masculi patrem hæreticum, feminae verò matrem Catholicam sequantur, aut vicissim, prorsus impia, & irrita esse, ut cum cit. DD. tenet communis aliorum; & ratio est, quia parentibus incumbit cura omnes suos liberos in vera fide educandi, cui obligationi nullo modo renuntiare possunt; atque adeò hujusmodi pacta non solum esse contra jus Ecclesiasticum, præscribens, ut soboles sequatur conditionem parentis fidelis, ut notat, & probat Sanch. l. c. sed etiam contra jus divinum, quo parentes tenentur liberos in fide, iisque moribus educare, ut remedia spirituali eorum salutem necessaria adipiscantur.

444 Ad 4. Q. R. Affirmativè, posse scilicet Catharinam & quidem pro-

pria autoritate divertere à P^{re}rengario ad hæresim redeunte, & non respiciente; nam licèt Kemnitius hæreticus Ecclesiam carpsit, quòd pluribus ex causis, quàm fornicationis, divortium concedat, cum tamen Christus Matth. 5. & 19. ob solam fornicationis causam affirmet, licitum esse divortium; veritas tamen catholica est in Trident. definita *Sess. 24. de matr. can. 8.* ob aliquas etiam alias causas permissum esse divortium quoad thorum, seu cohabitationem ad tempus certum, vel incertum, scilicet quamdiu durat delictum, seu causa, ob quam conceditur divortium, & inter alias causas numerari etiam adulterium spirituale, quale est hæresis, vel apostasia à fide, in quam labitur alter conjux, tenet concors DD. Cath. sententia, id, quod constat ex *C. fin. de convers. conjug. c. 2. & 3. quando de divort. C. non solum 28. q. 1. & ex D. Paulo ad Titum 3. ubi: Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem evita.* Ratio potissima est periculum perversionis conjugis Catholici, quod regulariter non abest, si quidem hæresis magnum secum affert periculum pervertendi fidem alterius conjugis; naturæ enim inditum est, ut quisque ad suam sectam alios pertrahere tentet, cum id ad animæ salutem necessarium esse existimet, & vel magis conjux conjugem, cui tanta familiaritate, & amore conjunctus est, ut adeò
ex